



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XI. Imperium Romanum non fuisse à Græco Imperatore Carolo Magno  
traditum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

Vopiscus scribit in eius vita: senatus enim ad milites Imperatoris electionem reiiciebat, probè intelligens nō placitum militibus Principem, quem ipsi non elegissent. Itaque rectè S. Hieronymus in epist. 85, ad Euagrium, Imperatorem ab exercitu creari dicit. Cùm igitur hæc fuerit apud Romanos elegendi Principis ratio, multorum sacerdotum consuetudine roborata; quis credat post annos DCCC. Romanum Senatum, aut populum, quando nullius fermè auctoritatis erat, id fuisse ausurum in electione Principis, quod antea, cùm floret, minimè audebat: Quare consultiū fecit Ioannes Aventinus, quem Illyricus & Onuphrius præter cæteros laudant. is enim cùm Senatusconsultum, & Plebiscitum in Imperij translatione omnino habere vellet; & tamen non auderet contra fidem omnium veterum id asserere, tacitum Senatusconsultum, & Plebiscitum factū fuisse scribit, & primas partes eius actionis Pontifici Romano attribuit. Sic enim loquitur lib. 4. Annalium Boiorum: *Pontifex, Senatus, populusq; Romanus Imperium transferre iure suo in Germanos, Carolum, tacito Senatusconsulto, Plebiscitoq; decernunt.* Nimirum sic interpretari voluit hic auctor acclamationem populi Romani, Carolo à Pontifice coronato, de qua veteres loquuntur, vt videlicet illa acclamatio quoddam veluti *Plebiscitum* fuisse videretur. Sed de his satis, nam neque aduersarius (vt supra diximus) hunc Imperij titulum agnoscit.

## CAPVT XI.

*Non deuenisse ad Germanos Imperium donatione Græcorum.*

**R**ESTAT postremus titulus, Principis Orientalis donatio, siue communicatio, quem titulum Illyricus non solùm agnoscit, sed etiam pro viribus defendere nititur. tot verò fraudibus & mendacis in hac vna re explicanda vtitur, vt mirum sit, si non ipse si bi apud sanos lectores existimationem fidemque detraxerit. Nobis autem ad hunc titulum explodendum duplex via, cæque expeditissima, sece offert. Primum enim Historici tum veteres, tum recentiores scribunt, Græcos Imperatores, cùm primū

primum ad eos fama perlata est coronationis Caroli, rehementer commotos atque indignatos fuisse. quod sanargumentum est eidens, Imperium Carolo non esse Cracuum donatione tributum. Sed verba Historicorum audiamos. Liginarthus, Caroli Magni (ut suprà diximus) Cancellarius in vita eiusdem Caroli, posteaquam exposuit coronationem, ita subiecit: Inuidiam suscepti nominis, Constantino politinis Imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulientia, vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longè præstantior erat, mittendo ad eos bras legationes, & in epistolis fratres eos appellādo. Sigebetus in Chronico anni DCCC.V. & Conradus Abbas Viagensis in Chronico, vbi refert compendio res gestas Carr. iisdem ferē verbis indignationem Imperatorum Graecorum describunt, quos sequutus Albertus Krantzius lib.2. Saxon cap.8. ita scripsit: Inuidiam suscepti nominis, Constantino litanis Imperatoribus non dissimulantibus, magna superuit pecunia: vicitque eorum contumaciam magnanimum, qua Græculis multum præstabat.

Deinde ex historiis constat Græcos Imperatores agnouisse tandem vel inuitos Imperium Caroli, sed non ante quam a Pontifice Imperator appellatus, & Augustali diademe in dignitus est. ut non nisi impudentissimo médacio Illyricus fabere potuerit pag.48. & 52. multis annis ante Caroli coronationem concessum eidem Carolo fuisse Imperium Occidentis ab Imperatore Græco.

Exstant Annales Francorū accuratissimi, ipso Caroli tempore conscripti. In his anno Domini DCC. XCVIII, post prima legatio Irenes Imperatricis ad Carolū nondum Imperatorem, qua legatione non Imperij communicatio traxit, est, sed restitutio captiuorum. Deinde anno DCCC.I. adtribuitur Caroli coronatio Romæ facta à Pontifice Leone, Tum anno DCCC.II. qui fuit ultimus Irenes, narratur alia legatio eiusdem Irenes ad Carolum Imperatorem, pro pace inter Græcos & Francos impetranda. Sed neque in ea legatione illa mētio communicationis Imperij facta est. Anno DCCC.III. describitur legatio Nicephori Imperatoris, qui Irenes successerat, ad eundem Carolum pro impetranda pace; de Imperij communicatione nulla mentio. pacem enim optabant Græci.

ci à Rege Francorum potentissimo, sed nondum (quod ex veteribus colligatur) Carolum salutare Imperatorem & Augustum dignabuntur. Anno DCCC.XII. qui fuit ultimus Nicéphori, commemoratur legatio Michaëlis, qui successerat Nicéphoro, ad eundem Carolum, & tum demum scribit auctor Annalium, à Legatis Græci Imperatoris Carolum Magnum, cum iam annos XII. imperaret, Imperatorem & Augustum salutatum. Denique anno DCCC. XIV. scribit auctor obitū Caroli, quem annis XIV. in Imperio fuisse testatur: ac proinde non numerat annos Imperij à consensu Græcorum, sed à coronatione, quam à Leone Pontifice Romæ suscepserat. consentiunt his Annalibus omnes Historici grauiores, Aimoinus lib. 4. cap. 90. & 91. Paulus Diaconus lib. 23. rerum Rom. Ado Vienensis in Chronico 6. ætate, Regino Prumiensis lib. 2. Chron. Otho Frisingensis lib. 5. cap. 31. & sequentibus, Cedrenus in Compendio historiarum, Zonaras in annalibus, Abbas Vspersensis, Hermannus Contractus, & Sigebertus in Chronico, Blondus lib. 1 decadis 2. Platina in vita Leonis III. & (quod magis est admirandum) Illyricus Cent. 9. cap. 16. col. 621.

Videamus nunc quid Illyricus in libro de translatione Imperij aduersus hanc notissimam certissimamque historiam, aduersus scripta sua priora, & (ni fallor) etiam aduersus propriam mentem & conscientiam adferat. *Habuit* (inquit pag. 47.) *Carolus Magnus Imperiale dignitatem concessione, ac consensu Constantinopolitanorum Imperatorū quod aliquantoclarius ordineq[ue] deinceps exponam.*] Nec nos diffitemur, consensisse tandem Græcos in Imperium Caroli, sed in uitios; & ut tu ipse loco notato in Centuriis dicas, quod mutare nō possent, quod à Leone Pontifice iam factum erat. sed perge, & expone quod proposuisti. *Platina s[ic] homo Italus, & Papis suis addictissimus, studio rem tam obscurat: ac cū narrasset, Rome Carolum, acclamante ei populo (et Imperatori) à Leone coronatum esse, mox addit[us] hec verba: Interea vero Constantinopolitana Imperatrix missis in Italiam Legatis cum Carolo sedus & pacem inuit, Imperiumq[ue] hisce terminis diuisit, &c. quibus verbus ostendit quidem Imperatricem proculdubio de consensu Imperialis Senatus Carolo Magno concessisse Occidentale*

666

dentale

dentale Imperium, & haud dubie etiam nomen ipsum cum re, sicut omnes alij Historicis scribunt: sed tamen non vult clare dicere, an ante a Papa populusq; eum coronauerint, an vero Imperatrix illi eam dignitatem, & potentiam concesserint.

At certè Platina satis clarè expressit, post peractam Caroli coronationem, Legatos de pace ab Irene ad Carolum venisse. Sed fac Platinam ut Italicum, & Papis addicturn, rem obscurasse: quid respondebis ad Annales Francorum, ad totos Historicos suprà citatos, Græcos, Germanos, Gallos, ad te ipsum denique? certè illi nec Italici erant, nec Papis addicturni; & tamen coronationem Caroli antea factam quam Legati de pace ab Irene mitterentur, clarissimè docuerunt.

Quod autem addis, omnes Historicos testari, nomen Imperatorum cum ipsa re, quæ tanto nomini responderet, Cœlo ab Irene concessum, mendacium est apertissimum: nulla enim Historicum reperire potui (euolui autē plurimos), id villo verbo significaret quod tu dicis, quin potius annales Francorum, Ado Viennensis, & Regino Prumiensis in Chronicis anno DCCC. XII. tanquam rem nouam & insolitam referunt, quod legati Michaëlis, qui tertius fuit ab Irene, ad des Imperatorias Carolo dixerint, eumque Imperatorem Basileum appellauerint. Perge. Verum quod antea Imperatrix id fecerit quam Papa, vel populus, inde liquidissime apparet, quia, teste Mattheo Palmerio Florentino, & Martinus Polono, antea est Irene Imperatoria dignitate spoliata papa Nicoporum, quam Papa Leo, populusq; eam actionem cum Carolo Romahabuit. Sunt vero isti duo vel diligentissimi suppatores temporum.] Et hîc ni fallor, contra conscientiam loqueris.

Nam in primis, quia fronte audes Martinum Polonum diligentissimum temporū suppatorē appellare, quem constat omnium ferè Historicorum fuisse negligentissimum: ac ne longius abeamus, in descriptione annorum Irenes, Nicophori, Michaëlis, & Caroli Imperatorū, quæ omnia viriles paginas explēt, sex commisit errores. Primū Irenem solum tribus annis imperasse dicit. at Paulus Diaconus, quiletes tempore vixit, lib. 23. rerum Romanarum, quinque annos, & aliquot menses illi tribuit, & singulorum annorum acta describit.

Icribit. Idem facit auctor Annalium Francorum, qui Pauli Diaconi æqualis fuit. Idē Cedrenus, Græcus auctor, in compendio Historiarum. Idem alij veteres. & ex recentioribus Onuphrius lib. 2. de Principibus Romanis Irenæ soli tribuit annos quinque, menses vndecim, dies 16. Deinde Nicephorum, qui Irenæ successit, Martinus Polonus solum mensibus novem imperasse scribit. at Paulus Diaconus, Cedrenus, Annales Francorum, & omnes alij veteres, octo annos, & eo amplius Nicephoro tribuunt: Onuphrius lib. 2. de Principibus Romanis annos octo, menses octo, dies 26. & ne putetur esse librariorum error in numero; quid singulis annis Nicephorus egerit, Paulus Diaconus & Cedrenus diligenter perscripsérunt. Tertiò Michaëlis Imperium constituit Martinus Polonus anno DCCC. contra omnium aliorum Historicorum tum veterum, tum recentiorum fidem. Quartò Caroli Magni initium ponit anno DCCC. II. neque errore librariorum id factum existimari debet. siquidem eodem in loco Carolum imperasse dicit annis XIV. mense uno, & diebus quatuor, ac dunde consequenter initium Ludouici, qui Carolo successit, ponit anno DCCC. XVI. At Carolum imperare cœpisse primo die anni DCCC. I. si à Natali Domini initium anni sumatur, vel octo diebus ante exitum anni DCCC. si exordium anni ducatur à Kalendas Ianuarij; tot, & tam graues auctores scribunt, vt mirum sit Martinum Polonum vigilasse, ista cùm scriberet. Vide testimonia quæ suprà citauimus cap. 4. Quintò idem Martinus ibidem Leonem III. qui Carolum coronauit, quartum appellat, contra cæteros omnes Historicos, ei-que tribuit ædificationem urbis Leoninæ; quam tamen confitat ab alio Leone esse factam, quem alij omnes quartum, ipseverò quintum vocat. Sextò in eadem pagina idem Martinus scribit anno DCCC. XIV. Stephanum Papam IV. venisse in Gallias, & honorifice suscepsum à Ludouico Imperatore. At si Ludouicus imperare cœpit anno DCCC. XVI. vt paulò pôst idem Martinus docet: quomodo potuit anno DCCC. XIV. Imperator Ludouicus Stephanum Pontificem ad se venientem suscipere? Itaque Martinus Polonus, diligentissimus scilicet suppator annorum; tam Pontificum quam Cæsarum annos vt plurimum perperam disponit.

bbb b 2

Quod

Quod verò idem Illyricus ait, ex Matthæo Palmerio liquidissimè apparere, Irenem antè Imperio spoliatam fuisse quā Pontifex Leo Carolum coronauerit, liquidissimum quoque mendacium est. Palmerius enim in additione ad Chronicon Eusebij, tametsi in eo labitur, quod Irene post filij excacionem solum quatuor annos tribuit, cùm Paulus Diaconus, Annales Francorum, & Cedrenus quinque annos, & aliquot menses illi tribuant, tamen ipse idem coronationem Caroli ponit anno D C C C. I. & initium Imperij Nicephori anno DCCC. II. constat autem ex Cedreno, & Paulo Diacono, dem die Nicephorum imperare cœpisse, qua Irene se abdare Imperio coacta est. ex quo intelligimus Palmerium non solum quatuor annos integros, sed etiam aliquot menses nrae tribuendos existimasse, licet solum perfectum numerus expresserit. proinde ex Palmerij sententia posterius Irene Imperio spoliatam, quam Carolus fuerit coronatus.

Sed audiamus iam cætera. Testatur quoque Platina, Nicophorum Imperatorem, oppressore, aut successorem Irene, maxinitio fædus Irene de Imperij divisione cum Carolo renouasse. Et hac quoq; fuerit confirmatio Imperij Occidentalis à Constantinopolitanis Carolo facta. porro Nicephorum hunc Imperatorem collocat Martinus Polonus. Penitentiarius Papæ. Archiepiscopus Consentinus in annum Domini DCC. XCII omnino cum clarissimè preponit illi Romana coronatione Caroli, sicut & Sebastianus Francus, qui in & Jacobus Philippus Bergomensis. ] De Martino Polono iam antè respondimus, cum in manifesto errore versari, cùm Imperium Nicephori refert ad annum Domini DCC. XCIX. quod ad annum DCCC. II. referre debuisset. Sebastianum Francum non nullum nec multum labore quid ille dixerit, cùm auctor fuerit admodum recens, & à Catholica Religione alienus.

Iacobum Philippum Bergensem more tuo fraudulenter citas. ille enim et si lib. II. supplementi commemoret divisionem Imperij inter Carolum & Ireneum, antequam narrat eiusdem Caroli coronationem Romæ factam: tamen illud facit per anticipationem, vt expeditat ea quæ ad Græcorum Imperium pertinent. nam postea loco suo ad ordinem temporum rediens, disertis verbis docet, Imperium à Græcis ad Franco-

translat.

translatū fuisse Pontificis auctoritate anno Domini DCCC<sup>4</sup>  
exeunte, ut etiam supra citauimus in 4. capite. *Proponit quoq;  
(addit Illyricus) Martinus Michaëlem Imperatorem eidem co-  
ronationi, qui ibidem illud fædus renouauit cum Carolo. De-  
nig. & Chronicum D.D. Achillis Gassari initium principatus  
Nicephori ponit in Annum DCC. XCVIII. facta vero est illa  
renouatio concessa Imperij à Nicephoro mox initio sui Imperij.  
quare ex hisce licet colligere & minimum tres donationes aut  
concessiones Imperij per Constantinopolitanos Imperatores fa-  
ctas ante illam Romanam actionem, nempe Irenes, Nicephori,  
& Michaëlis, vel certè illas duas priores.]*

Colligebat olim Virgilius aurum ex Ennij stercore: at no-  
ster Illyricus (vt video) ex Historicorum auro stercus colligit.  
nam cum veteres ac probati Historici, & illi ipsi, qui tempo-  
re Caroli Magni vixerunt, tam perspicuè tradant, anno quin-  
to Irenes Carolum Magnum à Pontifice Maximo corona-  
tum, ac deinde post eam coronationem, Irenæ successisse Ni-  
cephorum, & Nicephoro Michaëlem: quis non intelligit er-  
uisse Martinum Polonum, &, qui eum sequuti sunt, recentio-  
res Historicos, qui sine villa ratione ex sola imperitia veteri-  
bus contradicunt: quāta autem impudentia est, eiusmodi er-  
tores tam diligenter consecutari, & demum in obscuris aucto-  
ribus vix repertos ita proponere, ac si nihil verius literis man-  
dari potuisset: & tamen pergit Illyricus, atque ait: *Ex hisce e-  
tiam licet colligere, temerè, vel potius fraudulenter à Sabelli-  
co concessionem Imperij ab Irene post factam coronationem  
Leonis Papa poni. redarguitur enim manifestè ratione temp-  
orum, pleriq; sanè omnes Irenem aiunt postremò ab Imperio  
depositam esse ante illam actionem Romanam. aliqui autem  
eodem anno. Igitur oportet translationem Imperij antea in  
Carolum factam esse à Constantinopolitanis quam à Roma-  
nis.]*

At si temerè vel fraudulenter Sabellicus anteposuit Caroli  
coronationem Irenes abdicationi; num etiam Paulus Dia-  
conus, Annales Francorum, Cedrenus, Zonaras, Ado, Rhe-  
gino, Otho, Conradus, Sigebertus, & alij veteres, temerè vel  
fraudulenter id egerunt? Certè Sabellicus veteres Historicos  
sequutus est. Et qui nam sunt, Illycice, illi plerique omnes, qui

bbb 3

Irenem

Irenem aiunt postremò ab Imperio depositam esse antē illam actionem Romanam? nimirum Martinus Polonus, qui vix est instar omnium. an non te pudet tam apertè mentiri? ad perge.

Porrò illam translationem de pace Imperioq; inter Irenem & Carolum factam, collocant Ado Viennensis, & Annales Caroli in annum Domini DCC.XCIIIX. præponunt igitur eam & minimum integro quadriennio coronationi Leonina. Paulus quoque AEmilius in sua Francorum Historia affirms seriam sollicitamq; actionem & legationem Irenes ad Carolum longè præcessisse illam Romanam Coronationem.] Id verò, illyricè, non est solum audacter mentiri, sed etiam configeroculos hominibus, vt non videant ea quæ clarissimè patentur quidem Ado Viennensis, & Annales Francorum duas ponere legationes Irenes ad Carolum, vnam pro pace, & restitutio captiūorum, ante Caroli coronationem, anno D CCCC. LXXIIX. alteram pro pace iterum renouanda, post Caroli coronationem, anno DCCC. II. & quamvis Platina dicat hanc legatione posteriore procuratam esse Imperij diuisionem, tamen Ado Viennensis, & Annales Francorum nullam Imperij mentionem faciunt, nisi multò inferiùs, vbi describunt legationem Michaëlis anno DCCC.XII. Hæc enim sunt verbalē dōnis: Anno DCC.XCIIIX. Irene ad excellentissimum Regem Carolum legationem pro pace seruanda misit. Et infra, postquam narrauerat coronationē Caroli factam anno DCCC.I. ita subiungit: Anno DCCC.II. Irene Imperatrix ad Imperatorem Carolum misit pro pace inter Francos & Græcos firmanda. Et infra, Anno DCCC.III. Irene ab Imperio deposita est: & Nicephorus Imperator Constantinopoli creatus, cui Legatos suos, vna cum Legatis Imperatoris Caroli remittit, nam Imperator Carolus Iesse Episcopum Ambianensem, & Elinigandum Comitem, Constantinopolim direxerat. Siccuperunt autem legati Nicephori Imperatoris epistolam subscriptam de foedere pacis, sicque tali pacto Constantinopolim reuersi sunt. Denique infra Anno DCCC.XII. in eius locum Michaël gener eius Imperator creatur, cuius legati Aquisgrani ad Imperatorem Carolum missi laudes more suo dixerunt, Imperatorem & Basileum illum appellantes. His consentiant tum Annales Francorum (nam inde hæc omnia

Ado

Ado Viennensis accepit) tum etiam Paulus Æmilius in lib. 3.  
de rebus Francorum, ut quiuis per se cognoscere potest.

Nouum enim mendacium est, quod paulò pòst Illyricus  
addit, cùm ait: *Mihi vero verisimile est, mox initio illius in-  
staurati Regni Irene esse factam talem transactionem de Im-  
perio inter eam & Carolum, quo constabat adhuc princi-  
piò dubium, & inuidiosum regnum, quod & AEmilius affir-  
mat.*] Hoc (inquam) apertum mendacium est, cùm Paulus  
Æmilius non solum non dicat ullam factam esse transactio-  
nem de Imperio inter Irene & Carolum, sed contrà potius  
asserat inuita Irene & Nicephoro Augustis, Carolum à Pon-  
tifice magno, procerum Romanorum assensu, Imperatorem  
factum. id illa verba indicant de legatis quos Irene misit ad  
Carolum iam à Pontifice coronatum. Augustæ legati fœdus  
petebant, ægritudine animi interim dissimulata. & illa de  
Nicephoro: *Hactenus Carolum Augustum, magno patien-  
tissimoq; animo Nicephori simultatem inuidiamq; tulisse.*

Sed pergamus ad reliquas nugas Illyrici, ut hunc locum a-  
liquando claudamus. *Credibile* (inquit Illyricus) *tamen pro-*  
*fido valde est*, *Irenem cum filio Constantino multo antea il-*  
*lam dignitatem, & possessionem Imperij cum Carolo commu-*  
*nicasse.*] Vnde autem id credibile sit, multis verbis conatur  
ostendere. sed summa est, quia Carolus deuictis Longobar-  
dis, iam magna Italix parte, & ipsa Vrbe potiebatur; & Con-  
stantinus Imperator Constantinopolitanus filiam Caroli in  
matrimonium sibi dari petierat. *Expendat*, inquit, *queso to-*  
*tum hoc negotium quinis intelligens: quomodo potuit Constan-*  
*tinus Imperator ambire aut impetrare filiam Caroli nonfa-*  
*cta pace? quomodo autem potuit inter eos fieri pax, non conces-*  
*so Carolo Occidentali Imperio, quod iam fortiter occupauerat,*  
*& firmiter retinebat? necessario igitur in tali nuptiarum filia*  
*Caroli partione divisio Imperij facta est.*] Egregia sanè demô-  
stratio, quasi non possit Imperator cù Rege potentissimo pa-  
cem facere, & affinitatem contrahere, nisi Imperiale digni-  
tatem cum eo communicare voluerit. *qua igitur ratione Ca-*  
*rolus V. Imperator cum Francisco Rege Francorum pacem*  
*fecit, & Leonoram sororem ei in matrimonium collocauit,*  
*nec tamen eum in Imperio collegam accepit?* At *Carolus*  
*Magnus Occidentale Imperium armis acquisitum posside-*

bbb 4 bat:

bar: nec pacem cum Imperatore Constantinopolitano fecisset, nisi ei Imperium iam occupatum retinere permissem. Verum, non est, ut supra diximus, de possessione provinciarum Imperialium quæstio; sed de titulo, de iure, de nomine, de dignitate, ac Maiestate Augustuli tota controvèrsia, que enim inficiamur, Carolum bellica virtute Longobardos ex Italia excisum, eamque prouinciam suam fecisse, quando Romani Imperij prouincia fuerat. sed quemadmodum hoc tempore Reges Francorum, & Hispanorum, Romanii Imperij prouincias tenent, nec tam sunt Romanimperatores, & Imperator cum eis pacem & affinitatem habet: ita quoque fieri potuit, ut Carolus Magnus aliquot Romanii Imperij prouincias sine nomine, & Iure Imperiorio tenueret, & tamen cum eo Imperator Constantinopolitanus pacem, atque affinitatem habere cuperet.

## CAPVT XII.

*Romanum Pontificem iure suo Imperium à Gracis in Germanos translatisse.*

**D**E MONSTRAVIMVS hactenus, Carolum Magnum, quem Imperatorem Romanorum fuisse nemo negat, eiusmodi Imperium nullo alio timulo adeptum, nisi Pontificis Maximi auctoritate. Nunc quoniam Illyricus inter alia argumenta, quibus effere nititur, Imperium non peruenisse ad Carolum Magnum. Pontificia auctoritate; etiam illud afferit, quod Romanus Pontifex non habeat ius Imperia transferendi: nos contra, Deo iuuante, ad demonstrandum aggrediemur, posse Romanum Pontificem, si causa postulet, id facere, non quidem Regia, aut Imperatoria, sed Apostolica, id est, summa atque eminentissima Ecclesiastica potestate.

Pendet autem tota hæc res ex duabus sententiis: altera, Romanum Pontificem totius Ecclesiæ, id est, omnium Christianorum Patrem & Pastorem esse; altera, summum Ecclesiam totius Pastorem ita non modò priuatis hominibus, sed etiam Regibus & Imperatoribus Christianis præesse; ut, si causa Christi & Ecclesiæ id exigat, possit eos Regnis, atque Imperiis exuerit.